

propositiones Jansenii etiam in ejusdem sensu. Quare Refractorum obsequiosum silentium dolosum est, & merito damnatur a Clemente XI. in Bulla, quia incipit: *Vineam Domini Sabaoth.* At Ecclesia, & Summi Pontifices Sixtus IV., Pius V., Paulus V., Gregorius XV., Alexander VII., & Clemens XI., qui Bullas de Mysterio Conceptionis edidere, numquam damarunt sententiam de Conceptione in peccato originali; immo veterunt posse dici damnatam: ideoque diveritus est casus, & proceditur ab errore damnato ad opinionem hucusque non damnatam. Quare fraudulenter, & dolose exemplum Conceptionis trahitur in favorem obstinationis, & malitia Jansenistarum. Immo si daretur definitio, possent emendicare aliquid suffragii ex illa; quia dicere possent: Ecclesia per multa saecula contenta fuit de veneratione externa Mysterii, quod definitivit, cui aliquando fuit licitum ei intrinsecus non adhærere.

Ne tamen in his tricis involvamus Fideles; ne quod jam pie colitur, & celebratur ab universa Ecclesia, evanescat, & ne cultus, qui crescit in dies, minuatur, & refrigescat, quod hucusque non est factum, non fiat. Pontifices in suis Constitutionibus asserunt, hucusque negotium non esse definitum, prohibent censurari alterutram sententiam, donec definitio pronuntietur pro una, vel altera parte; ut dignoscatur in Sede Apostolica reperiri potestatem definiendi, & damnandi, quæ ad fidem, & mores attinent. Necessestate urgente, opportunitate considerata, semper definivit, quæ definienda, damnavit, quæ damnanda erant. Cum ergo clarissime demonstraverimus, definitionem petitam fieri non esse necessarium, nec expedire; ideo respondendum, duicimus supplicationi, si placuerit illi, cui parere religio est, servando stylum, quo respondeatur hujusmodi libellis supplicibus: *Nihil innovandum:* aut: *Gaudient imperatis.*

*Laus Deo.*